


DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
EFFICACIA SALIVATIONIS
IN LUE VENEREA SA-
NANDA,

QUAM,
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM
ORDINE
IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,
PRO GRADU
DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
AUCTOR
HENRICUS FRIDERICUS STUBBE,
BORUSSO-POMERANUS,
CHIRURGUS IN NOSOCOMIO MARITIMO REVALIENSI.

DORPATI LIVONORUM,
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI.
MDCCCXVII.



Inprimatur,


ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, antequam distribuatur, septem exemplaria ei Collegio, cui censura librorum mandata est, mittantur.

D. XVIII. Decbr. MDCCCXVII.

D. Martinus Ernestus Styx,
Censor.

P r o o e m i u m .

Lue venerea apud nos cognita, methodus curandi, quam medici contra hunc morbum existimaverunt necessariam, evacuans nominari potest; nam partim alvum laxantibus, partim sudorem moventibus lue veneream curabant. Hujus methodi modificatio, quae medicationem salivatoriam sistit, medicis majoris pretii visa est: a salivatione sola auxilium expectabant. Initio seculi praeteriti salivationem suppressendam esse, existimare coeperunt. Haec methodus apud Germanos ad nostram usque aetatem in praxi privata locum obtinuit; nihilo tamen minus in nosocomiis Franco-Galliae atque Angliae feliciter per totum seculum praeteritum curatione salivatoria utebantur. Hodie ad me-



463454

dicationem salivatoriam etiam in Germania magis magisque reverti videtur attentio.

Quaelibet methodus in morbis curandis, mea quidem sententia, magni esse potest, dummodo ad locorum condiciones quadret; qua ratione omnino explicari potest, cur quavis methodo lues venerea sanata fuerit, neque ulla methodus suo careat defensore. *)

Igitur in arte medendi omnia ad tempus; ratio rerum imperet; — experientia temporum praeteritorum meditandi demonstrandique nobis basin praebet. Statu rerum generatim exposito, quatenus huc spectat, pauca luis venereae respectu opinionesque meas de efficacia salivationis et quando animadverti quidem liceat, adferre conor.

.....

Priusquam loquamur de efficacia salivationis in lue venerea sananda theses partim de modo, quo mercurius in organismo contra lue vim suam exserat, partim de febre mercuriali proponere mihi visum est. Quo expleto, synthesisi observationum efficaciam salivationis con-

*) De methodis reliquis hic loqui non ad ipsam rem pertinere mihi videtur. Videatur Girtanner: Ueber die venerischen Krankheiten, Vol. 1, p. 340.

struere liceat; ejusque pretium tutissime pendere possumus, si loquendi potestas experientiae conceditur, qua de causa historiam morbi huic scopo respondentem sub calcem hujus dissertationis narrare operae pretium esse arbitror.

T h e s e s.

I.

Mercurio virus syphiliticum, solo modo dynamico, extingui non posse videtur.

II.

Mercurius chemice in virus syphiliticum agere videtur.

III.

Conjunctione sola chemica mercurii cum viro syphilitico, lues venerea non extirpatnr, sed morbus sui generis hac neutralisatione oritur, qui forsitan causam disputandi, an lues venerea larvata existat, nec ne, praebuerit.

IV.

Mercurius cum viro syphilitico chemice conjunctus, si lues venerea sanatur, vel alvo, vel sudore evacuatnr.

V.

Sine febre mercuriali lues mercurio non sanatur.

VI.

Salivationem nonnunquam in lue venerea sananda provocare necesse est.

VII.

Infrictiones unguenti mercurialis in lue venerea magni existimandae sunt.

.....

I.

Medici explicationes multas de modo, quo mercurius in virus syphiliticum agat, subministrarunt. Sunt, qui mercurium modo dynamico in luem agere existiment,

Sic principiis nostri temporis ducti medici contendunt, mercurium stimuli instar non solum in vasa lymphatica, sed etiam in arterias, quae glandulas nutriunt, agere, quo actiones processusque earum partium incitentur. Si igitur materia peccans adest, quae causam immutationis functionum vitalium praebet atque mercurius accedit, incitamenta diversi generis ita pugnant, ut incitatio normalis revocetur. Hoc modo neutralisatio dynamica viri syphilitici efficitur.

Viri ill. Reil, Hecker, Hunter, alique auctores mercurium dynamice in virus syphiliticum agere pariter adsentiunt.

Has sententias minime concedere possumus; nam pus ulceris venerei, quod corpori humano applicatur, nulla phaenomena generalia in actionibus nervorum efficit. — Si pus venereum vasis praecipui absorbetur, glandulae inguinales nonnunquam intumescunt sine perturbatione functionum dynamicarum in partibus adjacentibus, quod tamen fieri debebat, si virus venereum incitamentum pro nervis sisteret. Virus syphiliticum vasa lymphatica, per quae ad glandulas inguinales vel salivales permanat, non directe excitat, qua ratione virus cum humore solummodo, quem glandulae continent, conjunctionem talem inire posse mihi videtur, ut massa quaedam chemice constituatur, quae partes, quibus continetur, corrodit. Hoc praemisso, excitata vi vitali partium virus continentium indoles corrosiva viri mitigari, vel extirpari posse minime videtur, non raro partes vicinae ulceris venerei inflammatione laborant, quam remedia totum organismum excitantia nullo modo tollere valent; contra inflammatio augetur, postquam sanies ulceris partes vicinas fortius corrosit.

Si remedia vim vitalem excitantia virus venereum debilitare possent, tunc etiam vim vitalem auctam ad sanationem luis facere oporteret; sed observationes non desunt, homines

lue venerea infectos, qui febre catarrhali inflammatoria interim laborabant, minime tamen a lue fuisse liberatos.

II.

Si virus syphiliticum sistit incitamentum quod vim vitalem systematis lymphatici ad talem reactionem innormalem perducit, qua materia peccans, proprie sic dicta, oriri debet; atque si tunc mercurius incitamenti instar pugnando ita functiones, seu vim vitalem organismi moderari valet, ut sanitas restituatur; non video, cur, symptomatibus luis venereae mercurio semel extinctis, si sulphur nimis mature propines, haud raro lues cum omnibus phaenomenis denuo erumpat. Quae penitus ut intelligas, historiam sequentem adferre liceat:

Juvenis, lue venerea laborans, cui mercurius propinatus erat, se sanatum putabat, symptomatibus luis omnibus cessantibus. Sed gingiva adhuc dolebat, id quod mercurio effectum atque usu sulphuris sanandum esse, medicus existimabat; quam ob causam sulphur propinabatur, cujus post usum symptomata luis rursus erumpere coeperunt, quae mercurialibus postea sanabantur, quod, si generatio viri syphilitici in ratione dinamica organismi fundata esset, fieri

non potuisset. Nam fac, virus syphiliticum tali vi gaudere, qua actio vitalis organismi ad luem generandam regularetur; nunc accedit mercurius, incitamenti instar, quod actionem vitalem, qua lues propagari debet, ad functionem normalem reducit, quo facto, symptomatibus semel extinctis, vis vitalis in organismo nunc existit talis, qualis erat ante infectionem. Quo in loco si sulphur vim vitalem sic immutare valet, ut rursus lues erumpat, mirum sane, si usu sulphuris saepe, quamquam organismus antea lue non correptus fuerit, lues non gignatur. Quo exposito quaeritur, quomodo probabiliter vis mercurii in virus syphiliticum agens tollatur? Dynamice id fieri, persuasum habere non possumus. Igitur forsitan decompositio chemica sulphure efficiatur, ad quod defendendum equidem sum propensior, qua etiam causa sententia*), neutralisatione chemica virus syphiliticum mercurio influente extinguui, omnem attentionem mereri mihi videtur.

*) Pressavin credit, mercurium chemice in virus syphiliticum agere.

Swediauer et Harrison experimenta de conjunctione mercurii cum pure venereo, quae luem veneream non effecit,

III.

Sed hac neutralisatione sola viri syphilitici sanitas aegroti non restituitur, quamquam vis primitiva viri syphilitici immutari possit. Non quantitas mercurii ingesti, sed spatium temporis modusque curandi in lue venerea sananda, observanda sunt, quod si non necessarium existimamus, virus syphiliticum vi omnino primitiva privari, sed immutatione viri morbus sui generis gigni potest, ad quod defendendum sequentia consideranda sunt: Nonnunquam in praxi privata id curandum est, ut non adspergamus maculam homini lue venerea correpto, tunc enim fieri solet, ut, morbo clam medicaturus aegrotus negligenter ordinationes medici expleat, atque, quantitate mercurii magna adhibita, symptomatibusque luis suppressis, se sanatum putet; sed nonnunquam tempore quodam praeterlapso symptomata status morborum denuo erumpant, quorum conditionem causalem medicus praeteriti ignarus saepe non agnoscere potest, nisi aegrotus sincerè enarret, quo ante laboraverit. Errores eiusmodi non desunt: gravedine nonnulli laborantes plures ante annos lue venerea infecti erant; alii exan-

thematibus variis laborantes luis inmutatae suspecti minime credantur.*).

Talia phaenomena post curam luis oriuntur ex mea sententia, salivatione nimis mature provocata, transpiratio aegroti hieme, tempestate humida, impeditur, eaque non semper libera conservari potest, qua ratione sententiae, mercurium cum viro syphilitico chemice conjunctum transpiratione (ut plurimum) evacuari, libenter subscribo.**)

IV.

Si respicimus ad phaenomena inter usum mercurii in organismo, videmus transpirationem auctam, sensibilitatemque curationis ordinarios necessariosque esse comites.

Guaiaecum omnibus in morbis chronicis, quorum effectus sudorem moventibus deminuere volumus, magni pretii est, — etiam hoc remedium contra ipsam luem veneream perutile deprehendimus.

*) Initio saeculi praeteriti de lue venerea larvata loquuntur medici. Bagliv. (1721) putat, luem veneream semel in corpus receptam difficulter deleri, — specificis adhibitis vero mitescere, sed non extingui. Stieglitz Diss. de morbis venereis larvatis.

**) Murray sustinet, virus syphiliticum transpiratione evacuari.

Guajaco solo lues sanatur in regionibus quibusdam Americae, atque ut efficacia huius remedii forte in lue inveterata eluceat, animadvertendum est, aegrotum quendam *) lue laborantem, quanquam ille salivationes diversis temporibus sustulisset et minime a lue liberatus esset, Guajaci usu sanitatem plane recuperasse. Sed non conjunctione solius mercurii, cum Guajaco, sanatio efficitur, sed etiam corticem Mezerei magni in lue inveterata esse, medici quidam sustinent, cujus etiam remedii efficacia ceterum afficiendo sudoremque movendo se manifestat; et si remedia, quae in lue venerea profuerant consideramus, agnoscimus, ea omnia vi sudorem movente, sicut facultate propria, minime carere, **)

*) Libellus de Guajaci medicina et morbo Gallico. Morguntiae 1519.

**) Klauning 1712, de sulphuris antimonii virtute antivenerae. Auctor remedia sudorem moventia magni, in lue venerea curanda, existimat; ipseque auctor est, homines lue laborantes sulphur. antimon. sine mercurialibus a lue esse liberatos.

Joh. Fr. Hasselquist (1760) narrat, luem veneream aqua infecta oleo resinoso sanata esse.

Hieronymus Ludolf (1747) luem veneream praeparatis stibii tutissime sanari credit.

J. F. Coste 1788: Londini: Medical Journal for 1788 vol. IX. Experimenta opii respectu in lue venerea sananda.

Remediorum, sudorem moventium efficaciae respectu de qua mentionem fecimus, meo quidem arbitratu, id animadvertendum est, mercurium in eo luis gradu, quo illa remedia prodesset potuerant, ut plurimum jam adhibitum fuisse.

Quibus rebus perpensis concludere liceat, absque transpirationis beneficio virus venereum immutari quidem, vel etiam symptomata luis suppressi, sed non extingui, posse.

Non sudorem remediis moventibus solis, sed etiam remediis alvum laxantibus, virus syphiliticum extirpari posse videtur. Vir ill. Theden

Felix Kreisinger 1789, Diss. observationes medicas et chirurgicas continens, de usu opii in ulceribus venereis.

Ludolf 1731, Diss. de gonorrhoea, in qua auctor exponit methodum.

Med. Junker. Luem veneream praeparatis stibii ille auctor tutissime sanavit.

D. M. Lohmann 1741, Diss. de curatione luis venereae sine salivatione. Auctor loquitur de utilitate conjunctionis remediorum sudorem moventium cum mercurio in lue venerea.

Alexander Russell 1767. An account of some experiments made with the decoction of the root of the Mezerean in cases of venereal nades. London. Medical observations Vol. III.

Gerrit J. van Wy 1786, de usu opii in morbis venereis.

luem inveteratam, quae conata omnia eludebat, remediis sequentibus sanabat. *)

℞ Rad. sassaparill. ℥vj
 coq. c. Aq. fort. Mens. xij
 pr. horas quatuor, adde
 Merc. dulc. ℥β
 Cinnabar. ℥j
 Alum. usti ℥j
 — crud. ℥β
 Rad. liquirit.
 Fol. Senn. au. ℥iβ
 Sem. foenicul. ℥j
 Ebull. in vas. tect. col. Mens. vjij
 S. Decoct forte.

℞ Rad. Sassaparill. ℥ijj
 Aq. font. Mens. Xij
 Coq. per. hor. duas, adde
 Cort. citri recent.
 — Cinnamom.
 Cardamom. aa. ℥ijj
 Ebull. in vas. tect. Col. Mens. vjij
 S. Decoct. tenue —

*) Regula, quae, in methodo hac adhibendo, observanda sit, ab auctore exponitur.

Inter usum decoctorum alvum solvere auctor commendat, qua ratione pillulas sequentes ordinat:

℞ Mass. pill. de Cynogl. gr. xxjij
 Merc. dulc. gr. xij
 Resin. Jalappae gr. xlv.
 M. f. l. art. pill. No. xxxxx consperg.
 Pulv. Cinnabar.

Aegrotus hic jam plures per annos lue venerea laborabat, omnia conata eludente, tamen medicus, Doctor Espenberg, Revaliensis, ordinationes viri ill. Theden observans hunc aegrotum morbo plane liberavit.

V.

Quamquam persuasum habere possimus, minime sola vi vitali virus syphiliticum debilitari, tamen, si humores mercurio praeparantur, vis vitalis aucta ad sanationem firmam recuperandam contribuere valet; haec vis vitalis aucta febre mercuriali se manifestat, qua de causa sententiae ill. Hahnemann luem veneream febre mercuriali sanari, lubenter adsentio. Quamquam febris mercurialis cujus symptomata ill. auctor exponit, eodem semper vigore non se manifestet, tamen opinio ill. auctoris facile, ut mihi videtur, potest defendi.

Contra assertionem ill. Hahnemann multi medici existimant, eo minime adlaborandum esse, ut febris mercurialis efficiatur, sed id agendum, ut aegroto absque febre mercuriali sanitas restituatur. Maximi credunt esse, parcere aegroto ipsique curam impendere jucundam; nam medici contendunt, lue veneream, febre mercuriali plane evitata, tutissime extirpatam esse, aegrotos tales a symptomatibus huius morbi hac ratione liberatos nunquam postea eadem lue laborasse.

Omnino non desunt aegrotorum lue laborantium absque tali febre, quam ill. Hahnemann describit, sanatorum exempla. Ill. auctor sustinet etiam, non semper febrem mercurialem tali vigore se manifestare, sed leviozem gradum nonnunquam existere, qua animadversione veritas sententiae ill. auctoris elucere videtur. Omnino respiciendum est ad phaenomena, quae ill. Hahnemann febrem mercurialem constituenta exponit, ut agnoscamus, utrum phaenomena haec semper talia, an forsitan deminuta adesse possint. Quem in finem consideretur febris catarrhalis, vel etiam nervosa, quae se non semper deliriis, sed etiam lenioribus symptomatibus manifestant: constitutio organismi, vigor aegroti aliaque conditiones differentiam prae-

bent, eodem modo etiam gradus febris mercurialis variant partim pro quantitate mercurii ingesti, partim vigoris respectu, quo aegrotus gaudet. Haec differentia graduum explicare liceat, cur medici adserant, lue absque febre mercuriali sanari posse; nam si motus febriles inter curam minime periculosi fuerint, febris mercurialis iuter curam non adfuisse credebatur.

Sed usu mercurii semper status febrilis effici debet, si febris nihil aliud est, nisi symptomata, vim vitalem organismi auctam probans. Videmus vim vitalem excitatam omnibus remediis, et si efficaciam mercurii consideramus, elucet, vasa exhalantia pro gradu excitationis, statu quodam febrili non carere. Aegroti, quibus mercurius propinatur, ut plurimum de debilitate quadam in cruribus, praecipue in genibus, de sensibilitate cutis, de nausea, aliisque functionibus perturbatis, queruntur, qui status etiam omnino febrem mercurialem probat.

VI.

Quamquam persuasum habeam, absque salivatione aegrotos lue laborantes esse sanatos, nihilo secius tamen erant etiam, quos, lue laborantes, salivationi sese submittere omnino oporteret.

Efficacia salivationis tunc utique elucet, phaenomena, quae salivationem comitantur, considerantibus. Si mercurius salivationem efficere debet, id fieri potest modo duplici:

Et primum quidem, si mercurii porrigimus doses magnas, ut excitatio glandularum oris subito fiat, salivatio tunc est effectus inflammationis mitescens atque gradus inflammationis praecedentis; fluxus salivae utique par est.

Deinde autem, glandulas mercurio paulatim excitare passumus ita, ut nulla inflammatio, sed functio aucta partium salivam secernentium fiat, qua quidem ratione salivatio orta prodesse potest.

Intersalivationem aegroti sensibiliores sunt, atque organismus motu febrili afficitur, quo functiones cutis excitantur, transpiratio augeatur, nunc processus dynamici ita regulantur, ut, si jam prodesse possunt, extinctionem viri syphilitici efficiant.

Omnes ejusmodi effectus salivationis superflui sunt, si haec nimis mature instituantur; salutiferi omnino, si lente mercurio medicus virus syphiliticum neutralisatione chemisa immutet atque postea salivatione adjuvante ita functiones organismi excitet, ut secretiones excretionisque necessariae producantur.

Equidem haud crediderim, saliva virus syphiliticum evacuari; persuasum tamen habeo, salivationem subministrare medium, quo, si mercurius omnia chemice praeparavit, ratio dynamica organorum consensu ita reguletur, ut, quod ad lues depellendam, ab hac dependet, efficiatur. *)

VII.

Nunc quidem superest, ut inquiremus, utrum mercurii usu externo, an interno salivatio, si necessaria judicata fuerit, sit provocanda. Satis jam in medicorum scriptis de incommodis, quae usu interno mercurii intestinis praeparentur praeceptum est; satis etiam incommoda, quae usus mercurii externus adferat, perpensa sunt; hic solummodo quaeritur, an, si aegrotus salivationi submitti debet, haec usu externo, an interno mercurii, efficienda sit?

Si lues inveterata est, atque conata omnia eluserit, adeoque curatio salivatoria necessaria visa fuerit, haec infriktionibus unguenti mercurialis, ex mea quidem sententia, efficienda.

*) Chr. Gottfr. Stenzel (1742). Casus aliquot hominum a lue venerea per salivationem curatorum.

Joh. Aug. Oehmann (1750). Auctor sanavit per salivationem aegrotos numero 273.

Nam mercurius permeat aequaliter per omnes partes vasorum lymphaticorum; reactio cutis magis provocatur. Motus febriles vasorum exhalantium aequaliter sustentur. Intestina integritate tali gaudere possunt, ut aegrotus curae longinquae se submittere possit.

Historia Morbi.

C. Sc. nunc viginti octo annorum aetatis, anno 1807 gonorrhoea inficiebatur, cujus inter curam bubo in inguinalibus oriebatur. Bubo discutiebatur, post quem phimosis orta est.

Post aliquot menses ulcera in cavitate oris exanthemataque in fronte aliisque in partibus corporis observata. Aegrotus implorabat auxilium Medici K. qui mercurialia per menses duos porrigebat. Quo modo Symptomatibus suis extinctis Medicus aegrotum sanatum esse judicabat. C. Sc. usque ad annum 1813 sanitate plena fruebatur, sed hoc anno gravedine laborare coepit, contra quam medici per aliquot tempus remedia resolventia adhibebant. Fine anni sequentis, ulcere palatinum perforante orto, lumen venereum rursus erupisse medici existimabant; tum mercurialia adhibita.

Mense Febr. 1815 forma nasi valde immuta-

ta, carie venerea partes internas nasi destrui nemo dubitabat, qua de causa mercurius tum interne, tum externe forma unguenti mercurialis ordinabatur. Hic explicit aegroti ipsius narratio.

Anno 1816 mense Octobr. meum auxilium aegrotus imploravit; nam plures per menses jam foetor e naribus emanabat atque nunc ulcus destruens partem externam septi nasi corripuerat. Periculum in mora erat; mercurius dulcis aegroti porrigebatur; post aliquot tempus ulcus disparuit, foetor tamen e naribus remansit.

Mense Novembr. decoctum radice sassaparillae ordinabatur atque etiam monuimus aegrotum, cavitationem nasi injectionibus purgare, ut agnosceremus, utrum accumulatio mucis putrescentis, an caries occulta adhuc foetorem praebnerit. Purgatione instituta, massam mucosam putrescentem inspissatamque pondere unciarum duarum prope ejiciebat; foetor hujus massae terribilis erat. Sed post hanc purgationem nasus magis conlapsus erat atque foetor nullus. Fine mensis Novembr. color partis cartilagosae nasi immutabatur, atque in ala sinistra nasi ulcus adparuit; quam ob rem, praeterea doloribus nocturnis aegrotum cruciantibus, mercurii nitrosi cum

decocto radicis Sassaparillae usus necessarius mihi videbatur.

Usque ad hoc tempus aegrotus integritate stomachi serenitateque animi gaudebat.

Effectus mercurii nitrosi nullus; ulcus magis magisque partes cartilagosas destruebat; remedia etiam externa nil profuerunt, qua de causa mercurius sublimatus interne atque lapis infernalis externe adhibebantur, sed effectus horum remediorum nullus adparebat. Quo cognito arsenicum externe adhibendum esse mihi videbatur, post cujus usum aegrotus dolorem nasi totius dentiumque violentem per viginti quatuor horas sufferebat; indoles carcinomatosa ulceris disparuit, sed post aliquot dies excrescentia, tegumenti instar, in superficie ulceris se formabat, sub qua tamen sanies foetida inveniebatur.

Decoctum Sassaparillae sine intermissione porrigebatur.

Tunc temporis consului Doctorem Espenberg, Revalensem, de statu aegroti. Ex cujus sententia mercurialia adhuc erant adhibenda, et unguentum quidem mercuriale infricandum. Post viginti infrictiones, ulcus exsiccatum erat atque symptomata sypilitici viri disparuerant; salivatio inter hanc curam balneis impediatur.

Fine mensis Februarii ulcus sinistrum rursum erumpere atque excrescentia in ala dextra nasi se formare coeperant; inflammatio in cavitate oris adparebat. Tum Doctor Espenberg suadens medicationis salivatoriae usum, communicavit mecum talis curationis exemplum, quod omnino ad curationem talem iucitare poterat. *)

Aegrotus lubenter curationi salivatoriae sese subiecit. Unguentum mercuriale quotidie pondere drachmae unius infricabatur. Post aliquot infrictiones, jam effectus mercurii in ore sentiebat aegrotus; sed ut quantitas sufficiens mercurii in corpus ingereretur, salivationem etiam nunc balneis tepidis impedi. Aliquot dies post rursum infrictiones ordinari atque nunc usque ad salivationem continuandas infrictiones commendavi. Aegrotus per tres hebdomadas salivationem sustinebat. Ulcus excrescentiaque disparebant atque symptomata luis perspici ulterius non poterant.

Nunc balnea tepida, remedia sudorem moventia praecepi. Guajacum propinabatur, postea roborantia aegroto porrigebantur. Fine Mensis Aprilis 1817. C. Sc. se bene valere

*) Diss. de efficacia febris mercurialis. Erlangae 1794
— Espenberg.

confitebatur, curru quandoque eVectus, animi
recreandi causa. Nec mirum, cum quaecunq[ue]
hucusque commemoravi, mirifice probentur ac
confirmantur Louvrierii, Medici Viennensis ce-
leberrimi, observatis. *)

*) Darstellung syphilitischer Krankheits-Formen, nebst
Angabe einer zweckmäßigen und sichern Methode, veral-
tete Lustseuchübhel zu heilen. Wien, 1899.